

omnia intacta relinquo, ne, dum herbas sector, extra oleas ferar. Quoniam enim in hac præcipiti festinatione, quæ me rotæ, pronive gurgitis ac vorticis modò nusquam patitur consistere, ad finem proripior, idcirco reliqua, quæ dicere circa posteriora hæc membra deberem, quæquæ dicere, si possem, vellem, vel invitus prætereo: (cogor enim illâ figurâ, quàm aliàs ad ornamentum delectationemquæ; adhibent Oratores, ad probrum usque, nauseamquæ; abuti.) Lustranda nunc porrò venirent ea, quæ infra hominem indefesso recentiorum labore detecta sunt; perreptandus cum *Kirchero*, verè *Athanasio*, *Mundus subterraneus*, quæque ibi latent, magnalia Dei eruenda atque celebranda essent, nisi vererem, ne aures Vestras nimiam prolixitate obtunderem.

Quamobrem vela confestim contraham, dummodo prius ea, quæ in ipso homine hucusque inventa sunt, tribus attigero verbis: Ut autem à sensibus externis exordiar, cum ante ad lucem & colores cœcutiremus, in sonorum naturâ pervestigandâ obmutesceremus, in odoribus captandis non satis emunctarum narium essemus, in saporibus parum saperemus, ad tactum stupeveremus, ac ipsos sensus nostros vix sentiremus, jam horum omnium rationes intimè pervestigatæ multò clariùs, quàm ante, patent. Et quemadmodum visus per *Telescopia* ac *Microscopia*, quemadmodum auditus per *Tubos Acusticos* perfectus est, ita spem firmam injecit *Hookius*, reliquos etiam sensus per Instrumenta

62. similia adjuvari pariter posse. (62.) Eorum verò quæ intra hominem *Anatomia* hæctenus detexit, tantus est cumulus, ut me citiùs dies quàm oratio deficeret, si recensere omnia vellem. Post-

63. quam enim *Circulatio sanguinis* ab *Harvæo*, (63.) *vena lactea* ab

64. 65. *Afellio*, (64.) *Ductus Chyliferus* à *Pecqveto*, (65.) *Vasa Lymphatica* à *Bartholino* & *Rudbekio*, *Ductus Pancreaticus* à *Magnifico Domino*

66. *Rectore* & *Virsungo* (66.) *quartum in auris internæ antro ossiculum* à *Sylvio*, *Ductus Salivales* à *Warthono* & *Stenone*, novum gustûs or-

67. ganon, nempe *papilla nervea* à *Malpighio*, (67.) *vasa palpebrarum nova* à *Meibomio*, (68.) *Musculosa cordis substantia* à *Lowero*, *Ova-*
rium